



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Tit. XX. De officio Archipresbyteri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

ritò oculus Episcopi appelletur, d. c. Ad hac vers. format. & ubi quales eligi debeant. Quatenus autem videntur in epistola, & Concil. Trident. Sess. 23, cap. 12, de reformat. & ubi quales eligi debeant. Quatenus autem videntur, vide infra tit. de consib. §. ult.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

TITULUS XX.

§. 1. Archipresbyter quis dicatur.

Archipresbyter, id est, Princeps sive primus Presbyterorum, à plerisque Decanus appellatur, c. Ad hac & Archipresbyteri Ext. De officio Archid. Hic ex decreto Concilii Tolentani super omnes Presbyteros in ordine Presbyterali positos, curam agitantium: hujus est assidue in Ecclesia stare, & in Episcopi sui absentia ad vicem ejus Missarum solemniam celebrare, & collectam dicere, aut cui ipse injunxerit, c. 2, Ext. De officio Archipresb. qua explicatus referentur in c. 2, & c. 3, Ext. eod.

§. 2. Archipresbyterorum duplex genus, & de officio utriusque.

Quæ quidem propria sunt Archipresbyteri Urbani, id est, in urbe constituti. De Rurali verò, sive ruri constituto, ita Synodus Ravennatensis: Ut singulæ, inquit, plebes Archipresbyterum habeant propter assiduam erga populum Dei curam, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerat; verum etiam Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, viram jugi circumspectione custodiat, & quæ unusquisque industriam divinum opus exerceat, Episcopo suo renuntiet, tex. in c. fin. Ext. eod.

DE OFFICIO PRIMICERII, SACRISTÆ ET CVSTODIS.

TITULUS XXI.

§. 1. Quæ spectant ad officium Primicerii.

AD Primicerii (qui & Cantor sive Præcentor dicitur, Hostiens. in Summa h. t.) curam pertinet, ut in docendo præsit Diaconis & aliis Ecclesie ministris, lectionesque distribuatur Diaconis ad nocturna Clericorum officia ex c. unico Ext. De officio Primicerii, ubi & latius.

§. 2. Quæ ad Sacristam.

Sacristæ (qui & Thesaurarius dicitur) incumbit custodia sacrorum vasorum, vestimentorum Ecclesiasticorum, sive totius thesauri Ecclesiastici, nec non eorum, quæ ad luminaria pertinent, cap. 1, Ext. De officio Sacristæ.

§. 3. Quæ ad Custodem.

Ad Custodem verò reliquarum rerum Ecclesie cura spectat; speciatim verò, ut Archidiaconi jussu ad Canonicas horas signa tintinnabulo-

rum det, item pallia & linteamina altaris seu cuncta utensilia Ecclesie indefinenter custodiat, lampades & laternam accendendo seu extinguendo pervigil existat, text. est in cap. 1, Ext. De officio Custod. nec non panem & vinum omni tempore præparatum ad Missam habeat, c. 2, eod.

§. 4. Clausula ad hunc & duos præcedentes Titulos.

Hic tamen meminisse oportet, eam, quæ de officio Archidiaconi, Archipresbyteri, aliorumque diximus, & si quæ similia sunt, in quibusdam Ecclesiis aliter quandoque observari: quod minime absurdum videri debet, cum locorum consuetudines, ubi rationabiles sunt, juri scripto derogare possint, cap. Dilecti 4, Ext. De arbitris, cap. 2, Ext. De consuet. l. fin. C. De emancipat. Adde quæ diximus de consuetud. supra tit. de juris non scripti partib.